34) =Herzog Bernhard von **Sachsen-Weimar** [gest. 1639]
35) Damit ist u.a. der obgenannte Séguier gemeint.
36) =Claude oder Nicolas **Cornuel** 37) =Guillaume **Cornuel**
38) Damit ist die Richtstätte der Stadt Paris gemeint.
39) Damit sind u.a. die Hugenotten gemeint.
40) Anspielung auf die zwischen Frankreich und Savoyen in der Zeit von 1628 bis 1631 auftretenden kriegerischen Ereignisse.
41) Dessen Einnahme durch königstreue franz. Truppen erfolgte 1628.
42) s. Ploetz/Konferenzen und Verträge 67-69 [Friede von Cherasco von 1631]
43) Lothringen war insbes. von 1631 bis 1637 von franz. Truppen besetzt.
44) Nicole de **Lorraine** befand sich mehr oder weniger freiwillig des öftern am franz. Hofe, wo sie 1657 auch verstarb.
45) =Cosme-Jean-Baptiste **Concini** dit le Maréchal d'Ancre [gest. 1617]

AH 91, 31-35 - Blatt 31, 34 und 35 leer

16

1647 [n. Oktober 14.] A

"ADMONITIO[1] CATHOLICA STATUS CATHOLICOS MONASTERIJ ET OSNABRUGAE, INEUNDAE PACIS PUBLICAE CAUSA CONGREGATOS MONASTERIUM WESTPHALIAE MISSA. ANNO 1647."

Audite me Catholica pectora, et qui in vobis timent Deum, audite, con=
siderate, et nolite obdurare corda
vestra.

Deus Patrum nostrorum Eccle=
siam instituit Catholicam, congregationem fidelium
in terris militantium, non innixam super arundine
saecularis potentiae, non fundatam super are=
nam

nam humanorum consiliorum, multominus pseudopoliti-
carum considerationum, aut super idolum illud infernale
Rationis status, sed super solidissimam divinae providen-
tiae, et Assistentiae petram. quam quidem
assistentiam in omni quantacunque adversitate, quantâ-
cunque hostium potentiâ promisit is, qui mentiri, aut
decipere non potest. Ecce ego vobiscum sum usque
ad consummationem saeculi: et portae inferi non prae-
valebunt (= quantâcunque diabolicâ aut humanâ potentia)
adversus eam. Ne quaeso hic conturbet pro-
phanata Palestina, non defecta Anglia, aliudve
simile Religionis in unâ aut alterâ provinciâ exter-
minium. occultis id judiciis divinis condonate et
certi estote illa non in destructionem, sed aedificationem
vestram non ut similibus peccatis neglecta Religionis
conculcata Authoritatis Sanctae sedis Apostolicae oppressa
Justitia, extincta disciplina contempti status
Ecclesiastici causam pari ultioni divinae praeberetis,
accidisse; sed ut contrariis studiis insistendo fidem
orthodoxam contra haereticorum impudentem insaniam
masculè propugnando, fortunas vestras divino honori
postponendo, dilapsam charitatem et iustitiam,

Labefactatam erga Sedem Apticam eiusq. Authorite defectum, diminutam erga statum Ecclesiasticum venerationem restituendo, pseudopoliticorum superis invisa dictamina inanes umbras et imaginariam necessitatem explodendo, contrariamque Divinae Providentiae dispositionem mereremini, vestrâque pietate, et constantiâ Rempublicam, in quâ vivitis, capacem redderetis Divinorum auxiliorum extraordinariorum tantâ certitudine promissorum.

Causa, quam tractatis non vestra, sed Dei est, qui, quod eam tueri possit, fides de Dei omnipotentia vos docet, quod velit, spes de eiusdem Bonitate in sacro eloquio toties inculcata, et tot annorum praecedentium experientiis consolidata vos docet, et confirmat. Recogitate, obsecro, concussiones, quibus causa Religionis tam in Judaeâ olim, quàm post in christianâ Ecclesiâ conflictata, aliis saepius in tantas angustias coniecta fuit, quanta nullo modo sunt hodiernae; praevaluit tamen Divina providentia, difflata sunt hereticae machinationes, suppressa inferorum potentia, et praeter orbis sensum ex desperatissimis rebus eluctata est Dei Ecclesia. Considerate, quaeso, initia, progressum, statumque

Judaeae

Judaicae Ecclesiae coepta ab emigratione Hebraeorum ex Aegypto. Expendite resistentiam primo Aegyptiorum, deinde Chananaeorum, attendite populi illius salutaribus consiliis Moysis, et ipsius Dei iussibus continue adver=santis pertinaciam, duram cervicem, et desperantis animi murmura. Considerate casus ex omni parte despera=tissimos, pro ut ad Christianae Ecclesiae directionem (quae=cunque enim scripta sunt, ait Apostolus, ad nostram doctrinam scripta sunt:) totam seriem in libris Exodi, Josue, Judicum, Judith, Hester, Regum, Paralipomenon, Esdrae, Macha=baeorum singulari consolationis ~~gusto~~ succo digestam habetis.

Progrediamini deinde ad incunabula nascentis, et adolescentis Ecclesiae Christianae, in quam varios, quam periculosos, quam horribiles casus extremae calamitatis, ac in totalis exter=minij, Religionis evidentissima discrimina incidetis. Christus Dominus Caput Ecclesiae post ingentem resistentiam Magis=tratus Judaeorum, et Gentium tandem morte sublatus est, Vicarius Ecclesiae designatus Dominum suum negavit, Apostoli fu=gerunt, discipuli per universam Judaeam dispersi sunt. Quis non crederet extinguendam mox natam parvulam illam Ecclesiam? Ecclesiae satores Apostoli deinceps in diversis orbis partibus, fere omnes, dein prima centuria annorum

Pontifices

Pontifices, tota capita Tyrannide Ethnicorum occubuerunt.
Quis memor universalium persecutionum Neronis, Diocletiani,
aliorumque tyrannorum, non timeret totam ~~tuam~~ tunc temporis
extinctum iri? sed quaeso, ubi tunc audita impia illa
nenia, quas vobis pacis fabricatores ad nauseam occinunt?
sublato Christo ordinato S. Petro②, trucidato Clemente③,
Lino④, Cleto⑤, Urbano⑥, ~~aliis~~ primis Pontificibus occisis,
periclitabitur, peribit ~~tota~~, dissolvetur ovile Christi, Grex
sine Capite dissipabitur, extinguetur penitus Religio?
expedit ergo, furori hostium tantisper cedere, dissimulare,
condescendere, contradicendi, et resistendi tyrannidi libertatem
temperare, sacra christiana prophanantibus cedere, in
unitatem Ecclesiasticam oprimentibus deferre, Religionis
studium in tempora magis pacata, et quieta reiicere,
satius esse aliquam, quam omnino nullam Religionem
habere actum esse virtutis, et meritorum apud Deum,
dissimulationem factam intuitu melioris boni, et sexcenta
alia, quae hodie comminiscitur superis invisa pseudopoliticorum
prudentia, et male sciolti unius aut alterius Theologia,
ambitiosa, fastuosa, assentatoria doctrina.
Producite mihi ex sacrâ et Ecclesiasticâ Historiâ,
vel unum exemplum solidum, quo placita ista
pseudopolitica, et pseudo Theologica confirmentur.

Imò.

Imò potiùs à me accipite milliones Confessorum, et Martyrum qui puriori Spiritus Sancti radio collustrati, censuêre in occasione tali, ubi agitur de radando cultu Numinis, de dilapidando patrimonio, et libertate Ecclesiasticis, de abolendo honore Sanctorum, de prostituendis haeresi innumeris animabus, de fovendâ, promovendâ, de defendendâ armis Catholicorum, de aequiparandâ Orthodoxâ fide ~~Haeresi~~, de abrogandâ Jurisdictione Ecclesiasticâ, de tollendis auctorite politicâ SS. Canonibus, de diminuendâ Authoritate, et potestate Vicariatûs Christi (7) de disponendâ auctorite merè saeculari circa ultimas voluntates, de invertendis sacris fundationibus, expellendis commissione Caesaris (8) Catholici ex suis beneficiis Ecclesiasticis, ac monasteriis, legitimis possessionibus, ut illegitimi, id est, haeretici subintrent, uno verbo de statuendis iis, quae continent postulata haereticorum, et impium illud toti Catholico imperio probrosum proiectum Brucmansdorfianum (9); censuêre, inquam, Majores nostri in tali occasione ex obligatione praecepti, Confessionis, fidei, aliisque titulis quemlibet christianum maximè Episcopos teneri potiùs fortunas, felicitatem, officia, dignitates, et quascunque temporaneas comoditates contemnere, posthabere, quae humanis oculis obversant, Religionis periculo perferre cruciatus.

ac denique

ac denique vitam ipsam impendere, quam hostibus Ecclesiae sub quocunque tandem respectu melioris boni aquirendi, aut majoris mali vitandi vel tolum unquem cedere. Saepius sese casus offerebant, ubi cedendo furori, transigendo, paciscendo, Ecclesiasticum patrimonium, et Ecclesias, falsae quoque Religionis exercitium hostibus concedendo, spes affulgebat ~~tuta~~ ac fidelibus longis calamitatibus et exilio fractis tranquillitatem restituendi, ~~eos~~ Catholicos ad suas sedes reducendi, sicque saltem residuum Religionis conservandi; neque tamen tutâ Conscientiâ se cedere posse hostibus rati sunt viri ~~Catholici~~ Majores nostri, quanto minus hodie in absurdissima illa haereticorum postulata consentire fas est?, ubi nullam spem tranquillitatis, sed metum totalis exterminij Religionis superesse, tum ex continuis haereticorum fraudibus, tum ex vulgatâ publicis scriptis intentione, Papatum totaliter eradicandi; tum ex praeteritorum temporum experientiâ, tum ex Ser^mi Bavari, et vestromet testimonio constat, ubi 22 Aprilis, anno 1647 Serenissimum illum Electorem 10
aliosque principes ex ore, et sensu ipsorum, etiam Caesarianorum scripsistis, haereticorum audaciam postulandi eousque progressam esse, ut inde nihil aliud colligere liceat, quam quod Catholicae Religionis iugulum petere, atque tota causa in imperio in eum statum deducere intendant protestantes

Et sueci

Et sicuti, ut paulopost eandem opprimere ac extermi-
nare, in eorumdem arbitrio mero situm est.
Quod si à Deo est, et rectæ rationi conformis opinio
illa modernorum pacificatorum, quæ in oppositum
tendunt, et licitum ac virtuosum esse statuunt cedere,
condescendere, dissimulare, errâsse censendi sunt Matha-
thias, Eleazarus, septem Machabæi, summi pontifices,
Chrisostomi [11], Ambrosij, Thomæ [12], Cantuarienses [13], Mori [14],
ac Martyrum myriades, qui contrarium agendo
Religionem periculo obiecerunt, ac fortunas vitámque
suam absque necessitate prodegerunt, qui ipsorum potius
homicidæ, quam martyres dicendi. Sed forte latuit
illos hæc recondita nostrorum infelicissimorum temporum pru-
dentia; imò verum quàm credibile est, Ecclesiam Dei aliquot
sæculis latuisse, veram Evangelij lucem, ut garriant
hæretici, tam paradoxum est, Sanctorum illorum constan-
tiam Deo non fuisse acceptatissimam, utpote iudicio
Ecclesiæ canonizatam, innumeris miraculis confirmatam,
adeoque conformem obligationi hominis Christiani.
Sed forte tunc temporis tantum periculum, tantaque inde
enata necessitas hostibus cedendi, quanta nunc est non
erat? Ite viri mei et rem, quam calamo dilucidare
nimis longum foret, absque animi passione expendite;
invenietis angustias tuta, et refundandæ totaliter
Religionis

Religionis discrimina in frequentissimis casibus, modernum periculum decuplo excessisse. Considerate tempora Manichaeorum (14a), Arrianorum (14b), Albigensium (14c), aliorumque seu haereticorum seu Barbarorum Attila, Totila (15), omnia regna vastantium. Tunc temporis Catholici saepe nullum, saepe pauciores, infirmioresque habebant milites, saepe in sola fugâ, in exilio, in latebris, et cavernis terrae constabat ipsorum temporalis potentia, hodie econtra praeter causam, tum in seipsâ, tum ex ipsâmet adversariorum petulantia, et immensâ petendi quoque audaciâ, iustissimam (in sublatâ nostra indignitate, et incapacitate, ac suppositâ promissione divinae assistentiae) non posset non assistere Dei Bonitas. Habemus media, milites veteranos, selectissimos, hostibus nonnunquam numero superiores, saepe pares, suppositâ causae iustitiâ, et auxilii divinis tuta promissis, nunquam (nisi pessimis nostris intentionibus, et peccatis contra iustitiam, et Religionem intervenientibus) impares, habemus si status concordi animo congruâ quantitatis proportione concurrere, si belli capita militem, ne rapinis, et caedibus colonos ab agrorum, et vinearum culturâ, mercatores ac cives a mercimoniis impediat coercere velint, ut debent, nervum promulgandae violentiae hostium, accedente divinâ benedictione et auxilio, ex promissione

Ex promissione divinâ capacibus, et dignis, hoc est bene intendentibus, et Dei honorem, Religionis bonum magis, quam propria comoda quaerentibus (qualis erat Tilius innumeris victoriis benedictus,) certò profecto futuris nervum, inquam, habemus ex omni parte sufficientissimum. Etenim, ne dicam, de statuum aerariis, si vel soli pro-priorum praefectorum militiae, procerumque Consiliariorum, secretariorum consilij bellici, commissariorum, ac eorum, qui commeatus curam habent, thesauri, violenter, arti-ficiosè, ac cum summâ statuum, praecipuè Catholicorum injuriâ malè congesti (super quorum restitutione, quin principes ipsi querelis nullâ ignorantia excusabiles obligentur coram Deo extra dubium est.) si, inquam, thesauri isti excutiantur, media prodibunt ad paccandam pacem, absque vulnere honoris Dei ac Religionis, quam congruentissima. Uno verbo nihil nobis deest, nisi quo sponte, ac culpabiliter caremus, nempe zelus honoris Dei, studium Religionis, concordia animorum, recta in-tentio promovendi pro viribus honorem Altissimi, fruendi ictam, restituendi dilapsam Justitiam, et denique consilium, quo occasiones rem bene gerendi observemus, et technas hostium advertamus, et vigilantia, qua easdem tempes-tivè propensemus, et victorias prosequamur. Quorum defectu quoties, quaeso, hisce annis copias eduximus, quarumve

effectus

aspectus nedum congressus hostibus formidabilis erat? quo fructu? nullo. Heu quanta hac erga Deum, cuius munus erat tam bellus, et congruus militiæ apparatus, ingratitudo? quanta erga Italus, quorum sudoribus sustentati, et adornati erant exercitus, injustitia? rem dico, cui attestantur, quotquot rei militaris periti, imperialibus copiis astitere; septem ad minus vicennia sunt, quibus proximis annis hostiles copiæ Imperialis exercitus potentia opprimi, et nonnunquam ad internecionem cædi potuissent, nisi luxus, fastus, ac arrogantia primorum ductorum, æmulationes et dissidia inter unum et alterum exercitum; procrastinationes, cunctationesque oscitantia in instituendis explorationibus, intempestivi conatus, Bavariam Cæsareo milite exonerandam, studia armistitiorum, hostium callidâ astutiâ eo tempore plerumque expracticata, quo viribus aut occasione impares, ac inferiores Catholicis erant; in puncto conflictus vel declinandi, vel instituendi inter Cæsareos et Bavaros contentiones, et denique impiissima illa belli gerentium intentio, de quâ mox, iusto irascentis Numinis iudicio sensum, mentem, consilium nobis nobis eripuissent, incredibilem animi cæcitatem induxissent, et evanescentibus occasionibus armorum successus stitissent. Quis seu Christianus,

Christianus, seu Ethnicus, qui aliquem seu verum, seu falsum Deum credidit, unquam sibi imaginatus est, irato sibi Numine arma sua contra hostes feliciter successura? quis intentione ac proposito diminuendi Numinis cultum, introducendi, fovendi, defendendi cultum peregrinum, et Numini exosum, invadendi templa, prophanandi aras, prostituendi donaria Numini cultui sacra, proscribendi Numinis cultores, ac sacrificulos innocentes in exilium, quis, inquam, tali proposito, intentione ve Numen placatum iri, ratus est? Quis non antequam ad bellum progrederetur Numen placandum censuit. oblatis hostiis, concipiendis votis, ac propositis de aedificandis Basilicis, de adornandis aris, de Numinis cultu amplificando, de dedicandis donariis ex hostium spoliis, de derivando primo ac potissimo victoriarum fructu, in Numinis Gloriam? Soli Christiani Catholici (: eheu! malum sanguineis lachrymis deplorandum) Doctoribus, aut verius, Impostoribus, praedicante Rozacho, Electorali Bavarico Confessario, et paucis aliis, quibus offa aulica, et libertas plusculum sapit, in eas animi tenebras delapsi sunt, ut contraria via incedant.

Meministis, opinor, in Amnistia illa Calisronensi (16) devoratrice cultus divini, patrimonii Ecclesiastici, et animarum, illam clausulam (non obstante quocunque,

cunqs,

-cunque armorum Imperialium successu) insertam.
Nec vos latent sincerationes. Electori Saxoniæ (17)
nuperrimè Pragæ (18) factæ, Instructionique Cæsarianorum
Plenipotentiariorum (19) 14 Octobris, Anno 1647
insertæ, ubi Electori illi promittit et protestantibus
insinuari jubet: Cæsari propositum esse, non obstante
reunione cum Bavaro, pacem illam Westphalicam,
impio Trautmanstorffij penicillo delineatam, superis
invisam promovere, nec ullo inde consecuturo rei militaris
successu eam impediri passurum, Quod uti in effectu
nihil aliud est, quam dicere: nolle Cæsarem ullum
Victoriarum â Deo forte concedendarum fructum
in bonum Religionis derivare, sed perinde atque si nullas
Victoriam paraisset, quæ in honoris, cultusque Dei, Religionis,
et animarum dispendium, hæreticis iam oblata sunt,
sanctè servaturos: Itaque mirum non est, iusta indignantis
Numinis irâ, ingratissimos istos homines, in dies majori
animi caecitate, armorum sinistro successu, consilio segniori
eventu vapulare. Ista sunt Domini mei, quæ hæ-
reticorum potentiam augent, Catholicorum diminuunt,
dum Deum, cuius honor tam turpiter prostituitur, Catho-
licis iratum faciunt, auxiliaque ad tuta defensione alias
promissa, ingratissimis istis, et indignis Capitibus subtra-
hunt; Ista non tantum sentiunt pii Christiani, sed et
Ethnici,

Ethnici, ut lit videre est ex discursu Achioris
Judith 5. et Rabsacis Esaiae (19a) 36. v. 7.

Ne dicant Theologastri illi, hoc haereticis concedi non in dis-
pendium, sed studio potius honoris Dei, ac conservandi
residuum Religionis: hoc enim proinde est, ac dicere:
fornicari, mentiri, aliaque flagitia perpetrare, studio
honoris Dei, iram non provocare, utpote, quae non
fiant intentione offendendi Deum, sed honorandi, me-
minerint etiam potius eos, qui servos Dei interficiunt,
arbitrari obsequium se praestare Deo, et tamen mereri
iram Dei. Vae illis, qui bonum malum, et malum bonum
dicunt, et amarum dulce, et dulce in amarum ponunt.
Recte philosophantur, qui ex effectu causas dimetiuntur.
Effectus divinae irae in ordine ad totam Rempublicam
seu Comunitatem (aliud est de singulis ac privatis
hominibus) sunt calamitates publicae, consiliorum in-
fatuatio, adversa belli alea, vastationes urbium, pro-
vinciarum etc. Has ex eo tempore, quo ad
hoste traditores impios, Praga Anno 1635. (20)
Ratispona Anno 40 et 41. Francofurti Anno 43. (21)
Monasterii et Osnabrugae anno (22) 44. et deinceps defen-
dere coepimus in superlativo gradu experti sumus, et
experimur,

experimur, quid inde coniicimus, nisi Numini invisa
esse isthaec nostra consilia, et intentiones. Sed hoc
Assentatores Theologi ne attingunt quidem, ne in prin-
cipum aulis offendant. Vos autem, Deo chara pectora,
Dum Divinae Providentiae ordinem magis piè atten-
ditis, Bohemiam Silesiam, Moraviam, Franconiam,
Bavariam, illam ab hostili vastatione tam diu immunem,
quam diu Religionis studiosa fuit, vastatas videtis, et
militiae Imperialis solidissimâ administratione, errorésque
ex erroribus advertitis, similiterque quid, quantumve ad
impia prius consilia contulerint istarum provinciarum
Domini recolitis, successus armorum qualitati consiliorum,
et studio Divini honoris commensuratos esse agnoscite,
et ne cum Capite Reipublicae simul langueant membra,
sicque omnes spes aevi melioris prorsus evanescant, Deóque
causa detur, auferendi à nobis Regnum Dei, hoc est,
Religionem, dissensu vestro impia conclusa rescindite.
Pseudo-Theologica, in hoc quippe materiâ. Ne, quaeso,
vos decipiat Authoritas Caesarea Bavarica, cum,
istis circumstantiis sola sacra Scriptura, et Sedis
Apostolicae C. quarum illa sententiis et exemplis vos ad re-
fragandum nefariis istis conclusis exstimulat, ista
Trautmanstorfianis proiectum anathemate notatum
proiicit,

Proiicit, et damnat) ~~A~~ Authoritate in conscientia tuti
esse potestis. Non Caesarea; cum quia didicistis in causa
Religionis Deo magis, quam hominibus obedire debere,
et ex servorum Christi catalogo expungi, qui hominibus cum
dispendio eorum, quae Dei sunt, placent; cum quia vel ex
ipsa substantia, methodo, aliisque circumstantiis tractatuum,
et stupenda postulandi, concedendique absurditate,
clare advertitis, lucem consiliorum procul abesse, et
unam concessionem peccaminosam suo pondere ad aliam
trahere istos audaculos patrimonii Christi dissipatores;
cum quia nostis Caesaream authoritatem totaliter
in Trautmansdorfium, et Volmarum, par nobile
fratrum, et ad opprimendam statuum Imperialium
avitam libertatem, ad evacuandam haereticorum in
postulando audaciam, ad profundandam denique illam
totam, extra cuius gremium nati et educati sunt
accommodatissima instrumenta translatam esse.
Nec minus vobis et orbi constat, Caesarem, ut Bavaros
sibi reconciliaret, in eorum verba, intentiones, consiliaque
circa pacis materiam propemodum iurasse; ut adeo
hodie non erubescant Bavari, cum adversariis seorsim,
et absentibus Caesaris velut orbis Domini tractare.
Denique an non advertitis, in aula Caesarea abiecta
imperij sterilis, et exhausti cura, in id solum tendere
Consiliariorum

Consiliariorum è nationibus Austriacâ, Bohemicâ,
Hungaricâ, Styriacâ, Silesianâ, Moravicâ, et non-
nullis extraneis (nam Imperialium opera ibidem
viluit) placita, ut terris hereditariis consulat, quibus-
cunque tandem Imperii, sive in Religione, sive in
libertate vulneribus ac damnis, Non Bavarica,
tum quia etsi bonum publicum in ore, utile tamen
privatum in corde adeo radicatum habent Bavari,
ut secundum illud omnia consilia, seu de bello pro-
ducendo, seu de faciendâ pace dimetiant.
Recogitate pristinos annos, nonne quando, et quamdiu
Ordinum statuum Imperialium Tonnas et milliones
eructabat, bellum placuit?, et adeo quidem, ut
cum Franciscus Mercius Generalis (23) non obstante
parta, contra Gallos ad Herbsthusium victoria
pacis consilia Monachium scriberet, inde repre-
hensus responsum tulerit, pacis cogitationes aliis
relinqueret, ipse Bellum prosequeretur; Nunc verò
quando ad fundum ventum esse cernunt boni illi
viri, tam eos belli taedet, ut ad pacem quantumvis
inhonestam, impiam et noxiam statuendam bonorum
omnium conscientiam conciliant, ac terroribus,
minis, blanditiis, machinationibus, artibus libertati
statuum imperialium damnosis expugnare moliant
renuentes.

Uno verbo

Vno verbo, tam eos belli piget, ut malint Deum, et Sanctos suo cultu, ~~Tetam~~ suo patrimonio, Vicarium ~~Chri~~ suâ auctoritate, Innocentes suis possessionibus, animas spe beatæ æternitatis exuere, quam amplius belligerare. Dummodo illis cum <u>Electorali dignitate Palatinatus</u> [24], prima sessio in Consilio principum, et (quod nuperrimè præ=tendebat <u>Doctor Ernestus Bauari legatus</u> [25].) præcedentia ante Ecclesiasticos maneat; quod ut fiat, mutanda etiam erat ipsa <u>aurea bulla</u> [26], Introducendus <u>Octauus Electoratus</u> [27], et quinta rota currui addenda. Vt enim istâ pacis causa dimittant Bauari, nulla necessitas efficere potest, at ut alij, quorum quidem sudoribus occupatus Palatinatus, et Defensa multis annis Bavaria fuit, ea, quæ fortioribus titulis possi=dent, dimittant; cumprimis vero Deus, cuius assistentiâ parta victoria, ea, quam iure creationis, Redemp=tionisque in animabus rationalibus per fidem Ortho=doxam habet, sede, nec non illa, quam in <u>Archi Episco=patibus</u> Episcopatibus, et beneficiis Ecclesiasticis per bonorum ipsi dicatorum proprietatem habent, possessione deiiciat, quolibet etiam per culpabilem nostram negligentiam, temeritatem, oscitantiam, diffidentiam, Iudicij superbiam, et immansionem possi=tam.

Posita, aut etiam imaginaria, et ficta necessitas, qualis ea est, quae tractatibus pacis praetexitur, sufficit. Componite, quaeso, stupenda illa Bavarorum circa sacrandam Religionem, et bona Ecclesiastica liberalitate, propositionem illam Legati Bavari 12 Junij Anno 1647 Monasterij Westphaliae dictatam, et dum consideratis tantum illa quam pro primâ sessione contra suecos proposuit, contentionem, è contra verò in iacturâ eorum, quae Dei sunt, patientiam, (ut nihil verbo exprimam vulnera, quae per Bavarica consilia Religioni iam ab Octennio inflicta sunt), eorum incredibilem; ipsi diiudicate, an hoc consilia talia sint, ut eorum authoritate vestra dimetiri debeatis aut salvâ conscientiâ possitis. Supra initio insinuavi id quod sensu totius antiquitatis et omnium bonorum constat, scilicet Ecclesiam Dei in terris non tam in potentiâ seculari, et armorum apparatu, quàm in Divinâ Providentiâ ac protectione esse fundatam. Unde cum primae huius ~~tota~~ columnae ~~Petri~~ ~~Petro~~ ingererent; Ecce duo Gladii hic. Respondet: Satis est. Et paulo post Petrum gladium in locum suum mittere jussit, ac denique,

ut ait,

Vt ait Apostolus, infirma mundi eligit (ad propagandam, et defendendam fidem) ut fortia confundat: ut intelligeremus curam mediorum humanorum ad tuendam Religionem sic moderatam esse debere, ut potissima defensionis ratio, in Divina Providentia, cuius intentioni omnia, quantumuis improportionata media subseruiant, reposita maneat, attestatur huic proposito præter historiam totius Scripturæ sacræ, cursus annorum ab Anno 1618 usque ad Annum 1631. (28) continuâ Victoriarum serie non minus optatus, quam mirabilis. Rom. R. Nant. consideranti circumstantias, partiumque belligerantium numerum, media, vires, ac potentiam, apparebit manifestò Catholicorum sortem semper deteriorem, adeoque victorias omnes miraculosas fuisse, supplente benignissimo Deo, quod in humanis mediis deerat. Quam ergo dolendissimum, et quanto cæcitatis animi argumento est, quod Bauari in illa librâ, quam ad pacem Pragensem promouerent, Anno 1635 ad Aulam Cæsaris miserunt, nec non in illâ suâ propositione, quam 1 Maij Anno 1647 in pleno Catholicorum consessu Monasterij fecerunt; in illo item responso, quod eodem anno 8 Maij Statibus Catholicis in

Westphaliam

~~17~~

(29)

Westaphaliam Monachio transmiserunt, in illis
denique discursibus, quibus, eheu scandalum! Catho-
licos alias, prô dolor! sat pusillanimes prorsus exa-
minare ~~[illegible]~~ omnibus modis adlaborant in examinando
media, viresque ad propulsandam ab tota Dei hostili
violentiam, cum omnia resistendi media speciose, cum
magnâ tamen exaggeratione in ulterius recensuissent,
de Divinâ Providentiâ, extraordinariis auxiliis
coelestibus tam altum siluerint, ac si vel Deus non
esset, vel ad eum cura tota nullum periclitantis
non pertineret, vel ab illo in bellis praeteritorum
annorum contra Palatinum (30) Gaborem, (31) Thurrianum, (32)
(33) Mansfeldium, Halberstadium (34), Durlacensem (35), Suecos,
Gallos, ac eorum socios, Tartaros, Walachos, Thraces,
Anglos, Scotos, Irlandos, NorWegos, Danos, Ger-
maniaeque principes et urbes acatholicas qui uno
veluti agmine in totam Catholicam et Caesarem ir-
ruperunt, nullas unquam extraordinarias suppetias
experti fuissent. Recolite, quaeso, quae
Bavariae nomine scripta, dicta, atque adeo irroganda
pro pace praesenti Catholicorum vota, proposita
fuêre, iungite simul variatam â meliori in de-
terius armorum Bavaricorum fortunam, de-

prehendetis

Prehenderetis tantam de bonitate diffidentiam, ut inde
prudenter colligere possitis, consilia Bavarica à Spiri-
tu Divina Sapientia minimè regi, adeoque illâ ambo-
ritate vos in conscientiâ neutiquam tutos esse posse.
Non denique Theologica. Tres enim habetis
Theologos nefaria partis praecipuos patronos, Unum Monachum,
alterum Jesuitam, tertium praedicantem, hoc est, unum
plenè, duos vero semihaereticos. Fidem meretur nullus,
non tertius, quia eius professio est ~~sed~~ haeresin tueri,
promovere, fidem orthodoxam impugnare. Non
primus; tum quia fundamentum doctrinae suae sumpsit
ex Cathmanno haeretico professore, tum quia insignis
est calumniator status Ecclesiastici, egregius ductorum
assentator, et tam ambitiosus, ut verisimile sit,
illum suâ doctrinâ, quam vulgare potuit, Traut-
mansdorffio, et aulâ Caesareae in eum potissimum finem
blanditum esse, ut ad Abbatiam Pragensem [36] eveheret,
Cuius rei gratiâ non erubuit exuto S. Bernardo
induere Sum Benedictum. Secundus notas
quasdam, quibus principes et eorum famuli deciperent,
clam hinc inde obtrusit, impositis criminibus
falsis, erroribus, petitionibus principii C pro ect.
videre est in responso theologico Ernesti de Eusebiis
nuper impresso [39] tam probe conditas, ut eas inclitae
memoriae

memoria Anselmus Casimirus Elector Moguntinus, ob religiosi zeli constantiam nunquam satis laudandus, cum nausea rejecerit. Quid multis? Inspicite utriusque huius Theologi scripta videbitis sacra scriptura, quae theologicae doctrinae fundamentum est, et quae in tali necessitate tota agenda, quae omittenda sententiis, exemplisque pulchrè et copiosè explicat, modumque gerendi bellum sacrum ostendit, quae foedera cum impiis licita, quae illicita, docet, quae causa infelicis armorum christianorum successus sint, quaeve remedia demonstrat; Videbitis, inquam, sacra scriptura in eorum scriptis nullam penitus fieri mentionem; ut adeo Theologastros conscientiae rationem habuisse, aut ex Deo esse, nemo timoratus credere possit. Qui ex Deo est. Joan: 8 Verba Dei audit, et attendit, propterea isti Monachus et Jesuita ex Deo non esse credendi sunt, quia nec Verba Dei in sacrâ scripturâ expressa audiunt, nec aliis audienda proponunt, sed vanissima vanitate hominibus aulicis placere satagunt, proinde Christi servi non sunt.. Itaque si hoc in re, authoritate stare libet, habetis solatio sanctos libros, habetis auctoritatem Conciliorum, et SS. Patrum, Authoritatem Majorum, qui morte oppetere, quam in ea, quae à vobis petunt, consentire maluerunt, rati ad id sese sub damnationis

periculo

Periculo obligari; habetis autoritatem Historiae Eccle=
siasticae, et omnium piorum, et cordatorum christianorum,
qui conclusa Westphaliae detestantur.
Ne scandalizemini ab exemplo non nullorum Archi=
et Episcoporum nostrorum, qui dum impiis conclusis suffra=
gant, animas eorum curae commissas ipsi Orco trans=
mittunt, gravissimam Conditori rationem reddituri;
sed mementote duplex esse Pastorum genus, videlicet,
Pastores bonos, et mercenarios, qui venientibus lupis hae=
reticis fugiunt, trepidant, oves deserunt, imo quod horrendum
est, ipsi suis manibus subscribendo conclusis, lupis dila=
niandas offerunt, immemores iuramenti Deo et Ecclesiae
praestiti, et doceri ac dirigi parati â principibus saecu=
laribus, quos ipsi docere ac ad saniora consilia impellere
deberent; vae illis, quia vae homini, per quem scan=
dalum venit, vos autem secundum opera eorum nolite
facere. Non vos terreat Caesaris aut Bavari poten=
tia, estis membra Reipublicae liberae, habetis
vestram sessionem, et votum liberum, pro illo soli Deo
responsuri; Caesari in vos est limitata, Bavaro nulla
potestas, nisi vobiscum agit, quando promissis, minis,
impositione graviori onerum, disgratiâ, exclusione â
deputationibus, imputatione retardatae pacis mulctamini,
ex eo quod, sic dictante conscientiâ vestrâ placitis eorum

astipulari

adstipulari recusetis. Nolite frangi, nolite cedere, nolite committere, ut posteritas vos neglecta Religionis, vendita conscientia, ac prostituta Germaniae libertatis accusare possit. Hae aeternitate agit, nil vobis proderit non excusabit, non defendet vos in extremo Judicio Principum Authoritas; adstabunt illi simul exuti omni dignitate temporali, pares vobis, non vos defensuri, sed omniscio Judici responsuri, super administratione Reipublicae, super neglectâ et prostitutâ Religione, super cultu Divino sublato, super animabus aeternum perditis, super Patrimonio Christi dilapidato, super neglectis salutaribus consiliis, super sudoribus pauperum, super aedibus Ecclesiasticis, super multis millionibus, quas Statibus sub colore promovendae Religionis, durissimis ac horrendis modis tot annis extorserunt, totamque rempublicam absque omni fructu, et Religionis bono, imo in ejus ineffabile detrimentum enormissime laeserunt et innumeros innocentes intollerabili crudelitate patriâ, alimentis, et vitâ exuerunt, eorum ministri, et Comissarii militares rationem daturi super scandalo, quo Catholicos conscientiosos variis et exquisitissimis modis (quales sunt illi, quibus proximo tempore Elector Bavaricus erga Caesarem et Status, Caesareani erga Status usi sunt) à Constantiâ dimovere, aliisque ad assensum in impia conclusa

Conclusa pertrahere conati sunt, et nec hodie desistunt: res-
ponsum super methodo tractandi pacem cum grandi injuriâ
Catholicorum coniunctâ, dum statuum libertatem varijs modis
violarunt, nunc tam ipsis tractando, nunc intentiones quo ad
articulos, propropere adversarijs revelando, nunc clamando
hæreticorum odio gravando, nunc illorum absentiam pro præ-
sentia, præsentiam pro absensu, imò et dissensum pro
assensu accipiendo, nunc Catholicorum suffragia majora seu
minora contemnendo, protestationes iniquè gravatorum
repellendo, potestatem tractandi imò potestatis plenitudinem
ipsis soli arrogando, varios et in Imperio hactenus insolitos
subscribendi modos excogitando, Zelosiores à deputationibus
arcendo, volentibus consentire commendando, quod soli paucis
cum hostibus, et motum belli in Catholicos inermes (quorum
innumerabili pecuniâ ac sudoribus ipsi Bohemiam recuperunt,
Palatinatum occupârunt, suasque provincias multis annis ab
hostibus defenderunt) revocare vellent, quasi vero non
tenerent, vel ad annosos istos, ac copiosos tributarios,
oquè, aliis sese contra hostes tueri, vel acceptas, ac tam
malè collocatas pecunias reddere, quibus receptis facilem
invenerant modum conveniendi cum hostibus misselli
Catholici, citra conscientiæ periculum, In summâ ratione
redditûri super omnibus, quæ in istis tractatibus contra
Justitiam et Religionem eorum nomine agunt,
Nam etsi hoc pleraque præter optimorum Principum intentione
per ministros fiant, in principes ~~tamen~~ redundat, iuxta
Hesler

Hester c. 9. v. 4. Hoc erit tum potentum huius ~~saeculi~~ occupatio, non vero otium vos à damnationis periculo eruendi, ut ideo eorum potentiâ tam parum moveri habeatis ad indigna in praesenti, quàm parum eadem securi eritis in futuro iudicio divino. Quid dico Judicio divino? imo et humano. Certo certius enim quidquid sacrilegorum, quidquid Iniustitiae, quidquid imprudentiae, et absurditatis, quidquid deformitatis, huic paci inesse iudicabunt sancta sedes ~~Apostolica~~, omnes viri probi, intranei aut extranei, moderni aut posteri, uno verbo totus orbis, quidquid etiam calamitatum, et miseriarum ex his conclusis nunc aut imposterum iusto Dei ulciscentis iudicio in Rempublicam derivabitur, id totum vobis, viri inclyti, imputabunt, qui nunquam peccasse videri volunt, aut errasse, principum istorum ministri, nisi non tantum à consensu, et approbatione conclusorum, quae à vobis petitur, abstineatis, sed insuper categorico dissensu, et expressâ, distinctâ ac cordatâ protestatione, vestrae Innocentiae, et integritati consulatis.

Ad stabiliendam huius praesagii veritatem, quaedam vos meminisse volo. 1.mo Bavaros, non obstante purâ putâ veritate, et manifestâ notorietate in contrarium, hactenus tam Romae tam alibi se se, quod pacis istius irreligiosissimae, nec Autores, nec cooperatores essent, excusare solitos, Iidemque ante paucas hebdomades non

erubuisse

Ill.mo D.no Nuntio (41) pacis mediatori scripto respondere, sibi nihil constitisse de proiecto Instrumento pacis; illis proinde incumbere, ut se defendant, qui illud erexerunt.

2do Jam anno proxime elapso rem eo deductam, ut Caesarei et Bavari acriter inter se se dimicarent, neutris videri volentibus consensisse, quae iam tunc in detrimentum tota concessa erant haereticis. Mementote, quae ab Austriacis Caesareanorum nomine responsi loco ad vos scripta, et quae iterum per scribam ad protocollum missa sunt 16 Maij Anno 1647. quibus an, et quando vos contradixeritis mihi non satis constat; si tacuistis, vestrae conscientiae, Germanicae libertati, vestrae existimationi minus quam deceret consuluistis. In 1mo. invenietis hoc formale Austriacorum. 1mo Catholicos in Caesareos translulisse potestatem transigendi cum haereticis immediate. 2do Catholicos Caesareanis perpetuo occinuisse illud: Pacem facerent, quocunque modo. 3tio status Catholicos Caesareanis omnia pro perditis prostituisse. 4to Caesareanos Catholicorum nemini nec terras, nec quid aliud ademisse, et haereticis dedisse. 5to Caesareanos nullo modo intendere Catholicorum libertatem in faciendâ pace impedire.

Hoc ibi, et quid hoc aliud, nisi culpam noxiae pacis Catholicis imputare? In 2do scribit Ser.mus Elector Bavariae pias fundationes (die Stifften) absque omni â se factâ Catholicis cominatione prostitutas fuisse. Item nec se,

nec suos,

nec suos, vel ad unius saltem beneficij Ecclesiastici, aut alterius gravioris, et ad Religionem spectantis rei, in particulari consilium aut auxilium unquam dedisse, sed se iis conformâsse duntaxat, quae Catholicis in comuni, praesertim verò statibus Ecclesiasticis utilia, ac scientiâ licita visa fuerint. Item Catholicorum comuni plausu potestatem tractandi cum Suecis super puncto satisfactionis et gravaminum in Caesareos translatam fuisse, se se ergò immeritò prostitutionis bonorum Ecclesiasticorum accusari. Item in propositione 15 Maij ad protocollum missâ, Catholicos, C. ait Bavari Legatus (42) et horum exemplo secutum Electorem suum causas habuisse urgendi pacem, et ouinendi illud: Pacem quocunque modo etc. Ex quibus advertitis, Caesareanos ac Bavaros culpâ prophanatae rei Catholicae à se se modis omnibus amoliri, alijs in Catholicos status reiicere. Et cum status illis econtra culpam imputent, periit ~~tota~~ Dei in Germaniâ, modo, quo olim ~~tota~~ Sponsus Christus in Judaea: idest, ~~ideo~~ manu neminis. Judaei enim non occiderunt ~~eum~~, dixerunt enim: nobis non licet interficere quemquam. Nec gentes occiderunt. dixit enim Pilatus (43) Innocens ego sum. Periit ergo ~~eo~~ à nemine, aut verius ab utrisque. et periit hodie Religio in Germaniâ ab utrisque, nisi vos Catholici protestando, imò, et detestando vestro dissensu faciatis, ut concordata inter Caesareos, Bavaricos, et haereticos ratione conclusi Imperialis minimè obtineant,

sed initio

sed vitio nullitatis infecta pro infectis habeantur.
Quod ne diutius differatis, aut intermittatis, tam necessarium vobis est, quam serio vultis, ut vestra ad Deum confidentia illibata, vestra ad universum orbem, et coram potestatem existimatio, et fama integra conservetur, et hic in mundo nefandae prophanationis patrimonii Christi notam, ibi in aeternitate supplicia violatoribus piarum fundationum decreta, evadatis. Quid cum pace ista vobis? cuius monstruosi partus ipsos praecipuos Auctores (quos esse Bavaros et Caesareos, cum aliquibus Gallicis protocolla imperialia, scriptura partim publice producta, partim Caesari ac statibus ex Bavaria missae testantur.) tam pudet, ut vel cooperationis culpam etiam operose, licet minus veraciter a se amovere moliantur. Quod si in ligno viridi hoc faciunt, si, inquam, eos tam pudet pacis, quando ipsimet illam fructuosam tranquillitatis publicae, feracem, atque Religioni conservandae aptam proclamant, in arido hoc est, quando tristissima consequentia, abominandi effectus huius monstruosi Idoli paulo clarius se se exerent, apparebitque illud tota ac Reipublicae minime fructuosum existere, sed loco quietis, novas turbas, ac totalem Religionis, Religionisque ruinam generare. etc. Quid fiet? Ad dicitis: nisi subscribamus, occupabunt hostes Herbipolensem, Bambergensem Episcopatus (44) aliaque loca Catholicorum. Audio vos cum Judaeis loqui, venient Romani, et tollent locum, et gentem. Sed respondet vobis S. Augustinus tract. 49 in Joan: sub finem, temporalia perdere timuerunt, et vita aeterna non cogitaverunt, et sic utrumque

sia utrumque amiserunt. Ita Catholicis accidet, ut hac sua
pacificatione Deum irritent, ut reliquum quoque patrimonium
~~suae~~ in manus hostium successu temporis tradant.
Quid ergo tandem inquitis, facto opus in re undique extreme
vulnerata? ~~habetis~~ Moysen et Prophetas, totamque sacram
scripturam, audite, legite, respicite in exempla majorum, at-
tendite, quid in periculosis Reipublicae et Religionis casibus
illi egerint, quid vitarunt, vitate, quod in intentione, in
consiliis, in propositis correxerunt, corrigite, quod fecerunt,
facite, in cuius auxilio potissimum confisi sunt, in eius
adiutorio, et vos confidite, cuius interea pro conservatione
suorum ~~ovibus vestris~~ potissimo scopo habuerunt, eius causa
et vos pro ovibus vestris curate, quas intentiones in bello suo
habuerunt, habete, quae proposita conceperunt, concipite,
cuius suppetiis defectus aparatus militaris suppleverunt, illius
assistentiam et vos confidenti ardore ambite. Contem-
nite astutias pseudopoliticae prudentiae, de rebus sin-
cerius et secundum scientiam sanctorum iudicate, respectus
politicos seponite, libertatem in rebus Religionis et Imperii
secundum conscientiam loquendi, fartam, tectam, servate,
contrarientibus et in tepidiora provenientibus Caesareanis et
Zaccariis in faciem cordate resistite, concordiam animorum
resuscitate; male acta contradicite, retractate, et in
toto hoc negotio Dei causam vestris comodis anteponite,
idque agite, aut omittite, quod actum omissumve in
mortis articulo et districto iudicio optabitis.
Valete, sapite.

478

Hanc admonitionem veritati conformem esse, ex tractatu Westphalico referri asserunt, qui toto tempore consiliis assidentes totius cursus rerum notitiam habuere.
Attamen sine fructu extitit.

1) Aufgrund der einlässlichen Nachforschungen von Dr. Knackstedt vom Nordrhein-Westfälischen Staatsarchiv in Münster scheint der vorliegende Text noch nicht gedruckt vorzuliegen. Diese von einer der kath. Partei angehörenden Person verfasste "Admonitio" findet auch in der zahlreichen Literatur über den Westfälischen Frieden keine Erwähnung. Deshalb wird dieser Text in der Originalversion reproduziert. Um Personen- und Ortsnamen sowie die wichtigsten im Ortsregister aufgeführten Stichworte besser zu finden, wurden die Namen und Stichworte bei der Bearbeitung unterstrichen.
2) **Petrus** wurde ca. 64 n.Chr. hingerichtet.
3) Ob **Clemens I.** 101 tatsächlich den Märtyrertod starb, ist umstritten.
4) Laut gewissen Quellen starb **Linus** 67 n.Chr. den Märtyrertod.
5) =Papst **Anenkletos**, der 90? n.Chr. den Märtyrertod starb.
6) Ob Papst **Urban I.** 230 tatsächlich den Märtyrertod starb, wird heute eher bezweifelt.
7) 1647 war **Innozenz X.** Papst.
8) 1647 war **Ferdinand III.** Kaiser.
9) =Graf Maximilian von **Trautmannsdorff**, der Gesandte Oesterreichs an den Friedensverhandlungen.
10) =**Maximilian I.**, der Kurfürst von Bayern
11) =**Johannes Chrysostomus**, Kirchenlehrer
12) Wohl der Kirchenlehrer **Thomas von Aquin** gemeint.
13) =**Thomas Becket**, der Erzbischof von Canterbury
14) =**Thomas Morus**
14a) =Anhänger des **Mani**
14b) =Anhänger des **Areios**
14c) =Bewohner von Albi
15) =**Attila**, König der Hunnen und **Totila**, König der Ostgoten
16) Der Reichstag von Regensburg 1640/41 gemeint, wo insbesondere die Amnestiefrage innerhalb der Röm. Reichs geregelt wurde, s. Dickmann/Der Westfälische Frieden 100.
17) =**Johann Georg I.**, Kurfürst von Sachsen
18) Der Friede von Prag von 1635 zwischen dem Kurfürstentum Sachsen und Kaiser **Ferdinand II.** gemeint.
19) Deren Namen s. Plötz/Konferenzen und Verträge 77.
19a) =Prophet **Isaias**
20) s. Anm. 16

21) *Der Reichsdeputationstag von Frankfurt von 1643 gemeint, wo verschiedene Probleme innerhalb des Röm. Reichs diskutiert wurden, s. Dickmann/Der Westfälische Frieden 113ff.*
22) *Damals begannen die bis 1648 dauernden Friedensverhandlungen in Münster und Osnabrück.*
23) *=Baron François de* **Mercy**, *bayrischer Generalfeldmarschall, der 1645 in der Schlacht bei Herbsthausen die Franzosen besiegte.*
24) *=Maximilian I., Pfalzgraf und zugleich Kurfürst von Bayern*
25) *=Dr.* **Ernst**, *Gesandter Bayerns an den Westfälischen Friedensschlüssen 1647*
26) *Die Goldene Bulle von 1356, das Grundgesetz des Römischen Reiches, gemeint.*
27) *Es ging hier um die achte Kurfürstenwürde im Römischen Reich, welche Bayern und die Kur Pfalz beanspruchten, s. Plötz/Konferenzen und Verträge 78 Art. 4.*
28) *Gemeint insbesondere die Kriege Oesterreichs und seiner Verbündeten gegen Böhmen [1618-1623], Dänemark [1625-1629] und von 1630 an gegen Schweden.*
29) *=München, Hauptstadt des Kurfürstentums Bayern*
30) *=***Friedrich V.**, *Graf der Kur Pfalz, der von 1618 bis 1623 gegen Kaiser* **Matthias** *bzw. Ferdinand II. kämpfte.*
31) *=Gabriel* **Bethlen-Gabor**, *der nach 1619 gegen Kaiser Ferdinand II. kämpfte.*
32) *=Henri de La Tour d'Auvergne, Vicomte de* **Turenne**, *der 1635 im Namen Frankreichs als Maréchal de Camp gegen Oesterreich marschierte.*
33) *=General Ernst II. Graf von* **Mansfeld**, *von 1616 bis 1625 im Kampf des Pfalzgrafen u.a. gegen Kaiser Matthias bzw. Ferdinand II. eingesetzt.*
34) **Christian von Braunschweig-Wolfenbüttel**, *Administrator des Hochstifts Halberstadt, kämpfte bis 1623 auf prot. Seite.*
35) *=***Friedrich V.**, *der Markgraf von Baden-Durlach, der seit 1631 mit Schweden und seit 1634 mit Schweden und Frankreich zusammen gegen Oesterreich kämpfte.*
36) *Unklar, welche Abtei in Prag gemeint ist.*
37) *=***Bernhard von Clairvaux** 38) *=***Benedikt von Nursia**
39) *Dabei handelt es sich wohl um das Werk von Heinrich von* **Wangnereck**: *Iudicium theologicum super quaestione, an Pax, qualem desiderant Protestantes, sit secundùm se illicita? o.O. 1647. Ernst de Eusebiis ist Wangnerecks Pseudonym.*
40) *=Anselm Kasimir* **Wambold von Umstadt**
41) *=Fabio* **Chigi**, *von 1643 bis 1648 Gesandter auf den Westfälischen Friedensschlüssen.*
42) *s. Anm. 25* 43) *=Pontius* **Pilatus**
44) *Das Bistum Würzburg wurde von 1631 bis 1634 von den Schweden heimgesucht; das Bistum Bamberg wurde 1632/33 von Schweden und 1641 von Frankreich eingenommen.*

Möglicherweise aus dem Besitz des Zuger Stadt- und Amtsrats **Beat II.** Zurlauben. - AH 91, 38-40b - Blatt 38, 38a, 40a und 40b leer

480